



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina


**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Ludouici tertij filij Arnolphi Impertaoris donatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

inuiis, exitibus & reditibus, terris cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus, vniuersisq; ad pendiciis & adjacentiis suis. Iussimus quidem hoc præsens auctoritatis nostræ præceptum inde conscribi. Per quod decernimus atque iubemus: vt prænominatus honorabilis presbyter: ipsam Capellam in *Ranterdorf* consistentem cum pertinentiis suis: omni tempore vitæ sub vsu fructuario teneat: habeatque atque possideat: absq; vllius personæ offendiculo: ea videlicet ratione, vt eadem Capella cum vniuersa integritate suæ post obitum ipsius ad sanctum *Philippum* Apostolum (cuius sacratissimum membrum in villa *Otinga* venerabiliter humatum est: in memoriam Patris nostri *Carolomanni* Regis: qui ibidem corporaliter requiescit reconditus, nec non pro remedio animæ nostræ) conuertatur ita vt sub iure *Otingensis* ecclesiæ perenniter consistat prouisorumq; illius. Et vt hoc præceptum diligentius nemine inrumpe in perpetuum conseruetur: manu nostra id subtus roborantes: a nullo nostro iussimus insigniri.

Signum Domini *Arnolphi*  Imperatoris Augusti.

*Engelpero* notarius: ad vicem *Diotmari* Archicapellani recognoui. Datum XVI. Calen. Nouembr. anno Dominicæ Incarnationis DCCC. XCVIII. Indictione II. Anno XI. regni *Arnolphi* regis Imperij autem III. Actum ad Regina ciuitate in Dei nomine foeliciter. Amen.

*Ludouici* tertij filij *Arnolphi* Imperatoris donatio.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Ludouicus* gratia Dei Rex. Nouerint omnes fideles nostri præsentis & futuri: quia nos diuina adflatu instinctu: & per interuentum atque admonitionem *Gunzboldi* & *Megivuardi*, comitum nostrorum tradidimus: ad Capellam sanctæ *Mariæ* genitricis Dei in villa (quæ dicitur *Otinga*) constructam: pro veneratione Sanctorum ibi quiescentium nec nõ diuorum parentum nostrorum æterna saluatione: nostræque animæ remedio. *Hobam* vnam ad opus nostrum hæctenus (quæ dicitur *Hobohribba*) pertinentem: cum habitatore desuper habitante, *Kodgrim* nominato: suaque vxore nomine *Rikhilt* ac filijs eorum: cunctisque pertinentiis suis: cum curtibus & ædificiis, agris, pratis, campis, pascuis, syluis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, viis & inuiis, exitibus, reditibus, quæsitis & inquirendis, cum omnibus iuste legitimeque illuc pertinentibus. Vnde hoc quoque præsens præceptum nostrum fieri decreuimus: quatenus memoratæ res, nullo inquietante, sed Deo auxiliante, perpetuis temporibus, ad jam dictum sacrosanctum locum (cui venerandus Abbas *Purchardus* nomine, moderno tempore, præesse dinoscitur) ad vsus fratrum ibidem canonicè degentium integritate pertineat, eo rationis tenore, vt rectores ejusdem basilicæ, tam de hac nostra donatione, quamque prædictæ domus de causis: liberrima semper vtantur potestate, quicquid exinde pro communi decreuerint vtilitate faciendum: vt eos pro nobis antecessoribusque nostris, attentius Domini misericordiam exorare delectet. Et vt hæc auctoritas nostra, firmiorem in Dei nomine obtineat stabilitatem, propria manu nostra, in præsentia procerum nostrorum subtus firmauimus, & a nullo nostri impressione iussimus adsignari.

Signum Domini *Ludouici*  Serenissimi Regis.

*Metrop. Salzb. Tom. III.*

f 2

*Engilpero*

*Engilpero* Cancellarius ad vicem *Theodmari* Archicapellani recognoui. Data VII. Idus Augusti. Anno Dominicæ Incarnationis. D. CCCC. I. Inditione. IV. Anno regni *Ludouici* Serenissimi regis secundo, Actum *Otingæ* curte regia. in Dei nomine feliciter Amen.

Literæ foundationum & confirmationis Collegij

*veteris Oettingæ.*

I.

Privileg.  
Archiep.  
Eberhardi.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. *Everhardus* Dei gratia *Salisburg.* Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus, in perpetuam memoriam. Sicut detestabile & perniciosum nimis est, in quolibet homine, & præsertim in Principe, benefaciendi impedire propositum: ita virtuosum est, & coronæ perpetuæ meritorium, ad bonum intendētis animam, gratuitis adminiculis adiuuare. Ea propter notum esse cupimus tam præsentibus quàm futuris, quod cum internos, & Illustrem virum *Ludouicum*, Comitem Palatinum *Rheni*, Ducemq; *Bauariæ*, super jure patronatus Ecclesiæ *Oettingæ*, quæstio fuisset diutius agitata: præfatus vir Illustris, gratia S. Spiritus inspirante, ad honorem diuini cultus salubrem concepit animam, quod in Ecclesia nominata locaret collegium, & suis illud competenter dotaret redditibus: ita tamen, si nos juri patronatus cedentes, ipsi recognoscereimus patronatum & privilegium Fundatoris, Nos itaque ne tam laudabile videremur impedire propositum, sed potius adiuuare: Juri patronatus quod habuimus, vel habere videbamur in prænominata Ecclesia, cessimus, quod aliàs non fecissemus, nisi collegium ibidem fieret, nec ratum habebimus nisi fiat, & tali conditione, ipsum recognouimus verum esse patronatum; saluo tamen in omnibus jure Diocesano. Ne igitur super hoc dubitatio nascatur in posterum, ad remendam facti memoriam, præsentem chartam conferibi, & sigilli nostri concessimus munimine roborari. Hi sunt testes: *Kudgerus Chiemensis*, *Carolus Seccouien.* Episcopi. *Albertus* Præpositus. *Chuno* Decanus, totumque Capitulum *Salisburg*. *Chuno* de *Weruen*. *Conrad* de *Kalheim*. *Eckardus* de *Tanno*, *Gerhobus* de *Perckaim*. *Ridegerus* de *Perch*. Ministeriales & alij quam plures. Acta sunt hæc, Anno Domini nostri Iesu Christi Millesimo Ducesimo vigesimo octauo. Indiēt. I. Datum *Salisburg*. Nono Idus Iulij.

II.

Confirmat.  
Fundat.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Everhardus* Dei gratia *Salisburg.* Archiepiscopus, Apostolicæ sedis legatus, in perpetuam rei memoriam. Inter laudes & merita virorum Illustrium, sapientis iudicio reputatur non minimum, edificasse domos diuinas, in quibus Deum timentes, peccatorum implorent veniam, ad honorem Dei construxisse Basilicæ, minores Ecclesias, maiorum dignitatum honorasse titulis, ampliando diuino cultui Deo seruientium, tam prouentus, quàm munerum augmentasse. Nec est dubium, quin hæc & hujusmodi, recto zelo conantibus angelicis manibus in regnis cælestibus habitatio præparetur. Hac consideratione motus & monitus, hac fiducia tractus & inductus, dilectus filius noster *Ludouicus*, Comes Palatinus *Rheni*, Duxque *Bauariæ* Illustris, ad honorem Dei, sanctæque genitricis eius, & Apostolorum *Philippi* & *Jacobi*, cæterorumque sanctorum, impetrata à nobis auctoritate, fundauit & de nouo constituit, apud *Oettingæ* Præposituram Canoniceorum sæcularium; ita, vt essent ibi duodecim Canonici, cum Præposito tertio decimo, dans eis quantum in ipso erat, omnes immunitates & honestas libertates, & privilegia, quæ habent aliæ Ecclesiæ ejusdem ordinis, videlicet *Pataniensis* & *Ratisbonen.* hoc expresso statuto.

A d